

piebat; foret enim sibi utilissimam. Rex itaque hanc sententiam in domo sua omnibus parietibus undique inscribi jussit, imo et omni supellectili: contigit paulo post ut rex in odium suorum veniret, et clanculum a quibusdam ad necem quæreretur; subornarunt isti tonsorem regis, ut illi jugulum novacula abscinderet: hic cum aliquando tendens regem facinus pararet, vidit in regis linteo litteras acu pictas: Quid quid agas, etc. atque illico territus, retrocedere, pallere et tremere cepit. Objurgatus ob id a rege, imposturam fassus est; seque harum litterarum intuitu a scelere absterritum esse: ita demum rex expertus est quantum sibi profuerit sapiens consilium. Utinam et nos hanc sapientiam mercemur et familiarem nobis faceremus! Hæc enim est, quam Eccl. XI. nobis offert, cum ait: *Si annis multis viaverit homo, et in his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis et dierum multorum*, id est, æternitatis. Quicumque igitur lætos agunt dies et secundis rebus utuntur, respiciant ad finem: qui corpori sui serviunt blandiendo, superflue id exornando, delicate saginando, cogitent quale id paulo post futurum sit: utique esca vermium. Hoc si Jezabel cogitasset, non ita subito canibus lacerata et equorum ungulis concultata fuisset, IV. Reg. IX. Sane hæc cogitatio perurgebat Martinum Lutherum, qui dum semel cum suis combibonibus egregie genio indulgeret (quod ei familiare erat) cogereturque saburræ levandæ gratia e turba discedere, auditus est solus sub dio stans secum colloqui et seipsum compellere, aqualiculum interim pulsitans: Martine, Martine, hic quidem sat bene agitur: sed quid posthæc futurum est? Refert Joan. David, in verid. christ. cap. C. Mortis igitur, iudicii, et inferni sæpius se commoneant, qui in deliciis sunt, et sic vinum deliciarum aqua futuræ tribulationis misceant, ut ne ipsis noceat.

Tertia, non esse in terra erigendum aut statuendum beatitudinis trophæum, quod facere volebat Petrus, cum dixit: *Faciamus hic tria tabernacula*. Insaniunt qui hoc faciunt: *Non enim habemus hic manentem civitatem sed futuram inquirimus*. Nec decet e terra cælum facere: nec vera ac solida bona sunt, quæ habentur hic in terris, et sunt præterea permixta malis, quemadmodum in transfiguratione Domini fit inter ipsam gloriam mentio mortis ejus. Similes hi filiis Ruben et Gad, qui citra Jordanem terram nacti pastui idoneam, noluerunt transire per Jordanem in terram promissam, quos acriter reprehendit Moyses, Num. XXXII. Nimirum multa mundi implicamenta occupant, ait S. Gregorius, libro XXVII. moralium, cap. X. Hi Jordanem tran-

sire nolunt, quia habitationem cœlestis patriæ non requirunt, sed revera isti nesciunt quid dicant, quemadmodum Petrus in hodierno evangelio: nam præterquam quod stercora gemmæ et auro præferunt, etiam Dei iram in se provocant isti, qui pretium passionis ejus, imo e cælum ipsum hominibus paratum spernunt. maluntque computrescere ut jumenta in stercore suo, quam in cœlesti aula cum Deo regnare. An nescimus quid dixerit Dominus de illis, qui ad cœnam vocati neglexerunt et se detinuerunt in villis, agris et domibus suis. *Dico autem vobis inquit, quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam*, Lucæ XIV. non dicit: Viri adulteri, fornicarii, avari, ebriosi, etc. sed qui vocati noluerunt venire et frui cœna mea. Horum, inquit, *nemo gustabit cœnam meam*. Ubi indicat fore aliquando tempus quando desiderabunt vel gustare de micis illius cœnæ, et cum epulone petent guttam aquæ: et hoc non obtenturos.

Quarta, passionem Christi omnibus Christianis sedulo meditandam et memoriæ commendandam, ac pro ea Christo gratias agendas quotidie, præsertim vero hoc quadragesimali tempore. Sic statuerunt Moyses et Elias, qui de passione Domini futura sermonem instituebant etiam dum lætissimæ intersunt festivitati. Exigit hoc a nobis debitum gratitudinis, quod nunquam satis exsolvere possumus. Assuerus rex ope Mardochei ereptus a morte quam duo eunuchi ei machinabantur, jussit id consignari in annalibus suis. Quos cum nocte aliqua jussisset sibi prælegi, perlecto Mardochei obsequio, et audisset nihil adhuc præmii Mardocheo pro illo collatum esse, statim magno ipsum honore affecit. Equo enim suo impositum, velut in triumphi pompa undique circumduci et honorari jussit, inimicos item ejus occidi fecit, Esth. II. et VI. Quod si rex obsequium servi sibi exhibitum jussit referri in annales suos, sibi prælegi et adeo rependi, annon magis decet ut servus referat in annales suos obsequium ipsius regis. Et quid fecit nobis Christus? A morte æterna nos eripuit, quam machinabatur nobis diabolus. Et quid pro hac fide honoris et præmii Christus a te consecutus est? Nihil omnino. Ecce igitur non saltem ipsi gratias agis et loco gratitudinis beneficium id rememorans? Cur non ipsum propterea laudas, prædicas et extollis? Cur non item inimicos ejus, peccata videlicet, in te extinguis? Scribe igitur in annales cordis tui istud beneficium et quotidie relege, dicque cum Davide: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper ejus laus in ore meo*: et cum S. Paulo: *Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum*.

## CONCIO V.

EXCESSUS PASSIONIS DOMINICÆ EJUSQUE CAUSÆ.

I. Fuit excessus humilitatis. — II. Fuit excessus charitatis. — III. Fuit excessus liberalitatis. — IV. Fuit excessus patientiæ.

## THEMA.

*Eecce apparuerunt eis Moyses et Elias cum eo loquentes. Matth. XVII.*

Videtur hæc transfigurationis historia patrocinari filiis hujus sæculi. Scribit enim S. Lucas colloquium, quod habuere cum Christo Moyses et Elias, fuisse de ejus excessu, quem completurus erat in Jerusalem. En vobis, mundi asseclæ, patronum sane magnum excessuum vestrorum. Quid enim isti solent nisi excessus facere, in vestitu, in victu, in sermone, in contractibus cæterisque actionibus? Verum sciendum est excessum Christi Domini longe alium fuisse ab excessu reproborum: uti mox audiemus.

I. Passio Christi fuit excessus humilitatis, dum Dei Filius in persona propria eo se demisit, ut expiaret peccata nostra. Indicat hoc apostolus ad Hebræos I. cum de illo ait: *Qui cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, etc.* et ad Philippenses II. *Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, etc.* Certe nos ut caput tueamur, membra ictui objicimus, non caput ad tuenda membra. Atqui Christus cum esset Filius Dei, et caput nostrum, pro membris se exposuit omnis generis ictibus et tormentis. Quod servus se pro Domino periculis exponat, mirum adeo non est; sed quod Dominus hoc pro servo faciat, id sane admirandum. Quantum vero est, Dei Filium: *Qui est candor lucis æternæ et speculum sine macula* (Sapientiæ VII.) facere purgationem peccatorum quasi omnium infimus servus esset? Ut enim domesticum mancipium omnes sordes tergere debet, quas alii nec videre volunt; ita Christus tersit sordes mundi, peccata scilicet. Unde ea amplecti voluit, quæ nemo alius tangere, uti crucem omnibus exosam, latronum societatem, feralem purpuram, spinas, etc. Contemplare hodiernam Christi gloriam in transfiguratione cum ejus in monte Calvariæ ignominia; intuere cæteras sordes, quas in se recepit, ut a nobis tolleretur. Quis enim nescit, quot sputa, quot alapas, quot contumelias, quot confusiones exhausserit? Inventus est puer Spartanus captus ab Antigono rege, qui sub hasta venditus cum natura esset ingenuus, cætera heri jussa fecit, at matulam

afferre jussus, renuit tam servili obsequio se polluere, ac potius se ex alto præcipitem dedit, Plutarchus, in Lacon. Nos ergo terræ vermiculi non sustinemus ad infima munia dejecti, et non miramur Dei Filium, usque adeo se humiliasse ut tergeret nostrorum peccatorum sordes et abominations. Et quæ, putatis, causa est tantæ dejectionis? Prima utique, ut retunderet nostram superbiam, qua nimium quantum excedimus et supra nos ipsos efferimur. Ad hoc namque, inquit Sanctus Gregorius, libro XXXIV. moral. c. XXI. « Unigenitus Dei Filius formam infirmitatis nostræ suscepit, ad hoc invisibilis, non solum visibilis sed etiam despectus apparuit, ad hoc contumeliarum ludibria, irrisionum opprobria, passionumque tormenta toleravit, ut superbum non esse hominem doceret humilis Deus. »

Secunda, ut majorem in Christum fiduciam haberemus, nec dubitaremus eum facturum esse minora et faciliora, qui tanta et tam difficilia nostri gratia fecit. Celebrant multi, nec immerito, Caroli V. imperatoris factum, quo Ulisingæ commoratus, Seldio Ferdinandi fratris legato, sub ipsam noctem a se discedenti candelam, cum neminem ministrorum præsentem haberet, prætulit per gradus ad quietis locum, renitenti interim Seldio dicens: « Hoc tibi monumentum Cæsaris illius Caroli habeto, Seldi, tot exercitibus et satellitibus quondam stipati, quem nunc solum et a familia etiam desertum vides, et cui tot annis servivisti, ille tibi servit et lumen prætulit, » Cythr. oratione de Carolo V. Quod si hæc humilitas in imperatore memorabilis et mira est, quanti nos reputabimus humilitatem Christi, qui cum esset Deus et Rex regum, nobis tamen servire angelorum satellitio destitutus, et non doctrinæ tantum lumen præferre et sufferre voluit? Non fit ergo nobis passio et mors illius perpetuum monumentum humilitatis ejus, et stimulus ad fiduciam in eum semper habendam? Quid enim non dabit nobis, qui seipsum in servum dedit?

II. Fuit excessus charitatis, siquidem pro peccatoribus et inimicis suis mortuus est: *Majorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam pro amicis ponat*, teste Domino Joannis XV. Atqui ipse animam suam pro inimicis posuit; nimiam ergo charitatem habuit. Audi apostolum ad Romanos V. *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis*, inquit, *quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est*: et ad Ephesios II. *Propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo*. Nimia erat hæc charitas respectu hominum indignorum; qui, si naturam

spectemus, infimi sunt Inter creaturas rationales; si qualitatem, peccatores, inimici, superbi, ingrati, carnales, cœlestium contemptores, terrenis affixi, inepti ad omne bonum, primi ad omne malum. Jam si potentissimus monarcha Æthiopica aliquot mancipia, infimis solum obsequiis idonea, sæpe triremes et mortem commerita, amaret præ patria nobilitate, emeret ingenti pretio, imo suo sanguine, adoptaret deinde in filios et omni studio niteretur evehere ad regni sui communionem, nonne tu hoc nimium diceres? At hoc fecit Deus homini, angelis prætermisissimam naturam longe sublimioribus. Porro eo usque progressa est hæc charitas Dei, ut passionem suam offerret etiam pro iis, a quibus patiebatur (pro his enim orabat: *Pater dimitte illis*) et adhuc paratus sit impendere eam iis, qui oderunt illum.

Causa hujus excessus prima est, ut nos hac ratione ad reciprocum sui amorem excitaret et attraheret, dum enim ingratis benefecit, congestis carbonibus super caput nostrum, ut cogere eum amare. Oderant primo, Josephum fratres, nec poterant ei quidquam pacifice loqui, adeo ut eum perditum irent ac venderent. Verum postea mire sibi eos devinxit Joseph, princeps enim Ægypti factus, ultionem de eis sumpsit; sed qua ratione? Partim silentio et oblivione injuriarum, partim blanditiis et amplexibus, osculis, lacrymis, suspiriis, epulis denique et perpetua fratrum sustentatione: *Osculabatur singulos et per singulos, stebat et irriguis lacrymis paventium colla perfundebat, itaque odium fratrum lacrymis abluebat*, inquit Sanctus August. sermone LXXXIII. de temp. Hinc enim in amorem ejus fratres exardescere, de admissa in eum injuria cordicitus dolere et veniam demisse petere ac dicere: *Servi tui sumus*, Gen. XLV. et ult. Quanto vero majora sunt, quæ Christus nobis præstitit? Fudit Joseph lacrymas super fratres suos, at Christus super nos una cum lacrymis sanguinem suum. Ille fratribus alimoniam ut in Ægypto aliquamdiu viverent; hic nobis vitam suam et merita tradidit, ut æternum in cœlo viveremus. Quis ergo tam profusum amatorem non effusissime redamet? Quis non vehementer doleat de admissis in eum injuriis, dicatque ei: *Servus tuus sum?*

Secunda, ut exemplo jus discamus alter alterum prævenire in dilectione, injuriarum remissione, simultatis abiectione, humilitate, etc. Exemplum ejus audite primo Joannis IV. *In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, et misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris.* Ipse ergo prior ad nos ve-

nit, prior nos amavit et ingenti munere affectit, ut ipsum redamarem. Vide quam sint exaltatæ viæ Dei a viis hominum: homines enim volunt præveniri beneficiis, obsequiis, humiliatione, deprecatione ab iis, a quibus sunt offensi, Deus voluit nos prævenire. Qui de pari contendunt honore vel dignitate, nolunt alter alteri submittere, nec vel uno passu descendere ulterius, quam descenderit alter, Deus ad nos descendit. Quod exemplum maxima cum laude imitatus S. Henricus imperator conventurus Robertum Francorum regem super Mosam fluvium (qui erat meta utriusque regni) cum plures ex ambabus partibus insinuarent, indecens esse, ut quis illorum tantorum scilicet regum, semet humilians quasi in alterius transiret auxilium, satiusque fore, ut in fluminis medium navibus portarentur simul locuturi, (quod tamen consilium uterque princeps humillimus rejecit) primus ipse Henricus imperator summo mane transitit cum paucis ad Robertum regem, mutuoque amplexu semetipsos osculantes post missarum solemniam ambo una pransi sunt, Glaber, lib. III. cap. II. apud Baron. anno 1023. Jam vero quanto majus est, quod fecit Deus nobis? Et nos tamen exigua terræ incrementa facere hoc respuimus. *Charissimi*, subjicit Joannis dicto loco, *si sic Deus dilexit nos, debemus alterutrum diligere.*

III. Fuit excessus liberalitatis, dum nequaquam contentus fuit, fundere pro nobis modicum sanguinis in circumcissione (quot sat superque fuisset, siquidem theologi constanter docent unam sanguinis ejus guttam sufficere potuisse, non uni sed mille mundis redimendis) sed effundere totum voluit, adeoque etiam mori.

Causa hujus excessus prima fuit, ut constaret etiam rudibus, quanta gravitas insit peccatis; nam si parum tantum sanguinis fudisset et mortuus non esset, parvi æstimaret peccata sua rudis plebs, quæ non capit infinitum pretium operum Christi etiam minimorum. Quisquis ergo gravitatem peccati nondum intelligit, veniat ad crucem, videat, palpet. « Ex consideratione remedii, ait S. Bernard. serm. III. de nativitate periculi mei æstimo quantitatem. Nesciebam, sanus mihi videbar, et ecce mittitur Virginis Filius, Filius Dei altissimi, et jubetur occidi ut vulneribus meis pretioso sanguinis illius balsamo medeatur. Agnosce, o homo, quam gravia sunt vulnera, pro quibus necesse est Dominum Christum vulnerari. Si non essent hæc ad mortem, et mortem sempiternam, nunquam pro eorum remedio Dei Filius moreretur. » Hæc Bern. Habent vicissim peccatores cur nequaquam desperare debeant, præsertim si intelligent tantam liberalitatem non

fuisse necessariam, sed eo solum factam, ut de meritorum Christi sufficientia minime dubitarem. Quæ enim sordes esse possunt, quæ in tam copioso et pretioso balneo ablui non possint?

Secunda, ut nos ad obsequium et obedientiam suam tanto fortius obligaret, velut cum quis incarcerationum vel captivum apud Turcas majori pretio redimit, quam exigitur, ut eum sibi servum fideliorum faciat. Videtur enim dicere nobis Christus: Nullius me pretii, nullius laboris pœnitet, modo vos habeam servos bonos et fideles. Sic pia mater vestes omnes de collo abstrahit et omnia sua cimelia vendit, ut filium a laqueo redimat, quemadmodum et Christus fecit, cum omnem effudit sanguinem, et cum nudus in cruce pependit, vestes carnificibus et quidquid habuit, dedit, ut amoris suo satisfaceret, nos ad frugem revocaret, et a periculo gehennæ eriperet.

IV. Fuit excessus patientiæ, dum furori et sævitæ Judæorum nimium indulset, nimique ab illis pertulit: veluti imprimis omnis generis cruciatus in omnibus suis membris eosque puros, nullis permixtos consolationibus, quas tamen alii afflicti habent, et martyres omnes habuere: deinde rerum omnium jacturam, amicorum, fortunarum, famæ, corporis, vitæ; denique omnis generis contumelias, vincula, alapas, sputa, irrisiones, nudationem, servilia supplicia, probra, convicia, blasphemias, præproperam condemnationem, et ejectionem, quasi nulla commiseratione dignus, et vermis tantum non homo esset, juxta prædictionem Davidis Psalm. XXI. *Ego autem sum vermis et non homo, opprobrium hominum et abjectio plebis.* Sane cum multatur reus, imo cum occiditur bos aut ovis, sunt qui commiserentur: inter iniquos illos nemo fuit, qui Christo condoleret. Hocine non est excedere in patiendo tam indigna, quæ si voluisset, utique a se amoliri potuisset?

Causa autem hujus excessus prima fuit, quia Deut. XXV. scriptum est: *Pro mensura peccati, erit et plagarum modus.* Peccant autem homines omnibus modis, omnibus sensibus, omnibus membris, omni ætate et statu, ita ut Isaias describens peccata populi dicat: *Omne caput languidum et omne cor mœrens; a planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas.* Idcirco in omnibus suis viribus et membris ab omni hominum genere, omnia tormentorum genera patienda sibi existimavit Dominus, ut justitiæ divinæ exacte satisfaceret. Excedens frigus excedente calore pelendum est; excessus peccatorum, excessibus dolorum. Quanti vero passim excessus fiunt in vestitu, in cibo et potu, in voluptatibus carnis,

in mercimoniis et contractibus, in usuris, etc. Satis peccati foret superflue ornare corpus; sed vero novos quotidie excogitare et invehere vestitum ornatus, id omnino excessus est. Ideo et Christus non tantum usitatas pertulit ignominias vinculorum et flagellorum: sed novam insuper aliam, spineæ coronæ, a diabolo excogitam. Satis peccati foret egentibus non tribuere; sed vero eos opprimere, spoliare et exossare, id omnino excessus est. Ideo Christus non tantum vestibus nudatus, et omnibus facultatibus spoliatus est, sed nec habuit, quod vulpes, ubi caput recinaret. Satis peccati foret, fornicari et adulterari: sed vero irritare carnem ad graviora scelera contra naturam, id sane excessus est. Ideo et Christus non flagellis tantum cæsus et undique concisus est: sed insuper spinis punctus, clavis et lancea confixus. Satis foret iniquitatis, inebriari usque ad os: sed vero postea vomere ut iterum inebriari possis, annon hic excessus est? Ideo et Christus non partem tantum cruoris, sed totum effundere voluit, ut inde sitim ardentissimam sentire cogeret. Satis intemperantiæ foret non jejunare in quadragesima et cæteris jejunii temporibus: at insuper carnibus non abstinere, annon hic excessus est? Ideo et Christo in cruce sitiienti non tantum sitis non restincta est, sed insuper fel cum aceto porrectum. Satis mali foret, Christianos non vivere christiane: sed diabolo se transcribere et in odium Christi ei deservire, Christoque adversarsi, annon hic excessus est? Ideo et Christus non tantum voluntati Judæorum sibi infensorum, sed etiam gentilium, militum et carnificum, imo et potestati tenebrarum tradi se passus est. Satis denique foret toto et integro anno hæerere in peccati cœno: at hæerere multis annis et nunquam integre confiteri ac penitere, quantus hic excessus est? Ideo et Christus non tantum tribus horis in cruce, sed octodecim horis continuis varia tormentorum genera sibi succedentia pati et sentire voluit.

Secunda, ut nos provocaret ad patiendum vel parum, qui pati voluit nimis multum. Tota vita bene valere, et semel tantum aut bis ægrotare profecto parum est; ergo vel hoc parum æquo animo feramus. Toto anno bene comedere et quoties quis vult, sola vero quadragesima et paucis vigiliis jejunare, ita ut saltem unica refectio contenti simus, profecto parum est, sic enim decimas tantum anni jejuniis persolvimus; ergo faciamus vel hoc parum ob amorem ejus, qui pro nobis fecit nimis multum. Similiter tota hebdomade comedere omnia pro libitu, duobus tantum diebus a carne abstinere, profecto parum est: faciamus vel hoc parum. Tota hebdomade

nobis vacare et corpori attendere, semel tantum in festivis diebus sacrum et concionem audire ad pascendam animam, profecto nimis parum est, ergo faciamus aliquid amplius, vel certe hoc exiguum. Toto anno peccare et semel tantum confiteri, sane nimis parum est: ergo hoc fiat sæpius, vel certe semel accurate et bene. Integram peccatorum plaustrum afferre ad confessarium, interim vero ab eo desiderare modicam pœnitentiam, quis non videt nimis esse parum? Ergo rogetur confessarius, ut imponat rigidam et severam satisfactionem, vel talis ultro suscipiatur. Denique, abundare opibus, epulari et vestiri splendide, interim pauperibus vix de mensa micæ aut laceras atque attritas elargiri vestes, nonne id nimis parum est? Ergo demus multum in gratiam illius, qui in gratiam nostri dedit nimium, fecit nimium, tulit nimium.

## CONCIO VI.

## QUADRUPLEX HOMINUM TRANSFIGURATIO.

I. De statu gratiæ in peccatum. — II. E statu peccati in statum gratiæ. — III. Ab hujus sæculi deliciis ad gehennam. — IV. E miseriis hujus vitæ in cœlestem gloriam.

## THEMA.

*Transfiguratus est ante eos. Matth. XVII.*

Cum ad magnam solemnitatem, veluti ad nuptias procedit magnus princeps splendidissimo ornatu, omnes ejus aulici triviales exuunt habitus, novisque ac splendidis induti vestibus, quantam maxime possunt, suo se conformant principi, ut si non simili decore, simili saltem colore, seu (ut vocant) livrea in publico compareant. Prodit hodie Dominus noster princeps regum terræ, *tamquam sponsus procedens de thalamo suo*, novo, et miro indutus habitu, *speciosus præ filiis hominum*, dum in monte transfiguratus ostendit gloriam suam. Quid superest igitur, auditores, nisi ut nos omnes, qui in ejus aula, Ecclesia, sumus, et ipsi exuti veterem hominem, induamus novum et quantum nobis fas est, cum ipso transfiguremur et similes ei fiamus? Ita enim Moyses et Elias, qui hodie transfigurationis splendori interfuerunt et ipsi *in majestate visi* sunt, ut scribit S. Lucas, cap. IX. utique ad exemplum nostrum: ne in nobis reperiatur, qui tanti regis nuptiis sine nuptiali veste centumculatus adsit. Qua in re attendendum, auditores, siquidem et Satanas transfiguratur se in angelum lucis, omnemque adhibet operam, ut et ipse habeat

aulicos, metamorphoseos suæ æmalos, pessimus Dei simius: attendendum, inquam, ne in eam transformemur speciem, quæ diabolo potius placeat, quam regi nostro Christo. Quare videamus tam malorum quam bonorum bifariam transfigurationem.

Duplici ratione transfiguratur homo, sive cum Christo, sive cum ejus adversario dæmone: inchoate et complete. Cum Christo quidem inchoate, cum e statu peccati transit ad statum gratiæ; complete, cum ex hoc calamitoso sæculo transit ad cœlestem gloriam. Cum diabolo vero, inchoate, cum de statu gratiæ præcipitatur in peccatum; complete cum de hujus sæculi deliciis abripitur in gehennam. Quis inficietur has mutationes vere appellari posse transfigurationes, et miras quidem ac magnas? Videamus singulas.

I. Prima est, de statu gratiæ in peccatum, metuenda transfiguratio. Eam enim patheticè delineavit mundo Deus in rege Babylonis Nabuchodonosore, ejus arrogantiam punivit mira depressione, ita ut ejectus ab hominibus et in silvis oberrans, feræ instar degeret annis septem, Dan. IV. Quod qua ratione factum sit, ostendunt doctores S. Hieronymus, S. Gregorius, Theodoretus, Lud. Molina, Delrius cum Corn. a Lapide in eum locum.

Primo, rationis usu destitutus, utebatur tantum phantasia eaque vitiata, qua in ursum se mutatum existimabat, et quæ ursi tantum sunt, animoolvebat; siquidem ei dictum fuit: *Cor feræ detur ei*, bovis scilicet, ut infra dicitur. Ita et peccator superni luminis usu caret, dum eligit sibi noxia, turpia et otiosa, eaque bona et pulchra reputat; nec videt status sui periculum, non timet Deum judicem, non cogitat quæ honestatis sunt, sed voluptates tantum somniat, etc. quam ob causam peccatores vocat apostolus *tenebras*, ap' Ephes. V. *Fuistis aliquando tenebræ, etc.*

Secundo, complexionem accepit ferinam, quia corporis ejus temperamentum adeo immutatum et efferatum erat, ut in ferinas tantum actiones et voluptates propenderet. Pari modo peccator usu præsertim et consuetudine peccandi adeo degenerat, ut non tam homo quam brutum reptari debeat, ob distortam, et depravatam voluntatem: inde enim a Deo Genesis VI. non amplius *homo*, ut prius, sed *caro* tantum vocatur: *Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est*, quoniam scilicet, ut sequitur, *omnis caro corruperat viam suam*. Alibi etiam sæpe vocantur equi ob lasciviam, sues ob sordes et ingluviem, lupi ob rapacitatem et ferociam, etc. quemadmodum et nos communiter avaros appellamus

bufones; lascivos, fœtentes hircos; invidos, canes; ebriosos, porcos; pigros, asinos, etc. quia scilicet talium bestiarum mores, et vitia adeo imbiberunt, ut non tam homines, quam belluæ videantur.

Tertio, voces non humanas articulatas, sed belluinas et mugitus edebat, quia locutio sequitur imaginationem. Ubi ergo ferina imaginatio (quam in rege illo fuisse diximus) ibi et ferina locutio. Nihil melior est vox et loquela peccatorum, qui quod meditantur semper, idem et loquuntur; ambitiosi honores, ebriosi calices, avari nummos et mercimonia, lurcones convivia et symposia, litigiosi arma, lusoires aleas, venerei sordes et impudicitias: taceo blphemias et execrationes, quibus assueverunt. Et hæc ipsa loquuntur et eructant in somnio, in ebrietate, quandoque in articulo mortis.

Quarto, habitu ferino potius quam humano incedebat, facie deformata, cute aspera et indurata, unguibus quasi aquilinis, capillis prolixis et intonsis, per cætera membra nudus et omnibus cœli injuriis expositus, humi denique reptans manibus et pedibus; quæ omnia ipsemet contestari visus est, cum sibi restitutus dixit: *Figura mea reversa est ad me*. Simillimus huic habitus cernitur in homine peccatis deformato. Videas enim in illo faciem conscientie adeo deformatam, ut vel nullas in se videat scelerum suorum maculas, vel si videt, eam vel ebrietate vel externis negotiis obruat, ne aspicere cogatur; cunctem porro adeo duram et impenetrabilem, ut nullis moveatur adhortationibus, precibus, minis, plagis, qualem habent tauri Æthiopiæ, apud Plin. l. VIII. cap. XXII. silicis duritie, omne vulnus respuentem. Ungues ad rapiendum ea, quæ suis arident appetitibus, plusquam aquilinos; capillos cogitationum et curarum perpetuo fluctuantium, quibus totus in feræ modum hispidus undique ambitur et operitur; corpus adeo omnino honestate denudatum, adeoque depravatam et ad terrea ac fluxa bona depressum, ut modo superbiatimidum ridendum se aliis exponat; modo avaritia stimulante, per inedia exhauriat; modo per libidinem gallica aliave lue destruat; modo per iracundiam et invidiam conficiat; modo per ingluviem et ebrietatem ita enervet ut incedere nequeat, trahi debeat, et vitam sibi præcidat morbosque conciliet; quod sane aliud non est, quam belluæ instar quadrupedis pronum ambulare.

Quinto, herbas ut bos comedebat, quod sane facit peccator, dum verum et solidum, adeoque proportionatum animæ cibum (Dei verbum, sacramenta, virtutes earumque exempla, etc.) fastidians, quærit belluinum pascitque animum va-

nissimis et vilissimis rebus: uti vestium et auri splendore, tinnitu nummorum, fœdis colloquiis, detractionibus, fabulis et curiosis narratiunculis, vini et siceræ ingurgitatione, etc. hi sunt illius cibi; atque ita demum homo, qui in baptismo initiatus Deoque consecratus fuit, turpiter immutatur et degenerat in feram, ex templo fit spelunca latronum, ex domo Dei domus vanitatis, uti notavit Amos, c. V. dicens: *Et Bethel erit inutilis*, Hebr. *Bethel erit in avena*, q. d. ex Bethel sit Bethaven, hoc est, ex domo Dei domus vanitatis et inanitatis, quod si non sentit modo peccator, sentiet suo tempore, cum ea quibus illectus Deum offendit, vertentur illi in nauseam, quod fiet in articulo mortis et inferno.

II. Secunda, e statu peccati in statum gratiæ, felix et optanda. Illius typum exhibet nobis Joseph e carcere (in quem tamen nulla sua culpa conjectus fuerat) ereptus et mox ad principis dignitatem evehctus a Pharaone, Gen. XLI. Qui enim paulo ante in obscuro carcere vinctus compedibus, squalidus, intonsus et impexus totusque depressus sedit, repente jussu regis eductus, attonsus et veste meliore indutus est, tumque a rege magnis auctus honoribus; nam induit eum stola byssina, dedit annulum in manu ejus, torquem injecit auream collo ejus, imposuit eum curru suo secundo et præconis voce honorari jussit, appellavitque eum *Salvatorem mundi*. Quanta hæc et quam subita mutatio, de summa miseria ad summam in terra felicitatem? Talis porro mutatio cernitur in homine, cum serio convertitur et respiscit a peccatis. Qui enim prius peccatorum vinculis constrietus, in tenebris ignorantie, sub potestate dæmonis squalidus et deformis peccandi consuetudine adeoque belluinus, ut supra vidimus, effectus erat, is per pœnitentiam totus immutatur in virum alterum. Erutus enim e diaboli ergastulo, vitiis peccatorum vinculis, deterso priorum vitiorum et sornium squalore, abjectis etiam sæcularium cognitionum ac desideriorum capillis, miris gratiæ beneficiis dotatur.

Primo, vestitur stola byssina, gratia videlicet, quæ instar vestis nobilissimæ Dei solius manibus confectæ hominem ita exornat undique et condecorat, ut totius naturæ splendor, quantuscumque ille sit etiam in angelis, vilis et exiguus sit respectu illius. Nullæ stellæ cœlum, nullæ gemmæ coronam, nullum aurum, nullæ purpuræ aliæque byssinæ vestes ita condecorare regem possunt, uti gratia animam; quam si nos hic contemplari possemus, eligeremus cum S. Catharina Sennensi mille mortes, imo et cruciatus ut ejus aspectu frui possemus.

Secundo, annulum aureum accipit in manibus